Oldesworthio
Secretario
Comitis Pembrokii
S. P.

(76).

Valdè tibi debeo Oldesworthi humanissime, quod hominem exterum sed ~~iam~~ popularem meum tantâ statim hospitalitate dignatus sis. Scimus Batavi, quantus Barlaeus sit. At postquam is in Angliâm esse cœpit, ut Atonio, Seldeno, Johassenio et imprimis tibi placeat parum viri meritis detulisse videmur. Interea referendis gratiis, quas Ill.mo Comiti, tibique debere me agnosco, nimis me imparem arbitratus, ipsius calamum admovendum censui, quo binas hasce quas addidi literas promtius effudisse miratus sum, quam tuas perlegisse credebatur, quas eodem die a me missas, illicò remisit. Totus totus eruditio est, ac mihi paucos antehâc, vidisse contigit, qui tantâ Latinae dictionis facilitate excellerent. Tu si quid insignem encomiasten liberalitate regiâ meritum existimas, tuae id omne curae atque humanitati commissum scito, eidemque imprimis acceptum a me ~~fuit~~ ferri, quantum promissis eâ de re hactenus beatus fuit. Vale mi Oldesworthi, et me ama tui praeamantem.

Hagae. Postridiè Cal: Junij 1626. febricitans, quo te calamo negligentiori ut ignoscas rogo.

C. Hugenius.

(78).

G: Barlaeo.

Gratias tibi pro munere magnas ago. nec pro munusculo minores: quando semel ita statui, nihil nisi magnum a te proficisci, etiam cum te Laconismo includis, et amplissimum ingenium tuum paucis versibus. Itaque et Italiae tuae, cujus lustrandae per bibliopegum copia nondum facta est, jam nunc sic subscribo, ac si tua sit; quo solo encomio modestiae illi tuae gravis esse in posterum decrevi. postquam stupore quotidiè novo obruere nos nondesinis, ac de perculsis mutos aliquando is redditum. Jackaei multo stupuit facundia luctu, nisi quod benignius pronunciandum est, linguam Tacitus arguisset. Mihi Logicum idioma sapere videtur, arida oratio, brevis illa certe, sed parum succincta quod succulento vero minitere, culpabis ἀναισθησίαν hominis illiterati At ego ne ~~quidem~~ in hâc splendidâ quidem servitute quam servio, raram foelicitatem puto, Sentire quae velis, quae sentias dicere, quod amicum nullo non saeculo licuit. Vale vir Doctissime, et me ama.

Hagae: 18 Dec: 1626.

Valde Tuus.
C. Hugenius.

Barlaeo.